



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 43. Assassini.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

ætatem perveniret, Reipublicæ habenas tractavit.

Sæcul. XII.

A. C. 1173.

## §. XLIII.

*Assassini.*

**A**ssassini, quorum multoties Scriptores Historiæ meminerunt, Musulmannorum Secta erant, cujus origo ad annum Hegiræ ducentessimum septuagesimum octavum, salutis humanæ octingentesimum nonagesimum primum quærenda est. Illa enim tempestate Pseudo-propheta, Nomine *Carmat*, in Arabia & *Elmac.* regione urbis *Cufa*, extitit, qui jejunans, *p. 174.* manibus suis laborans, & in die quinquagesies orans, multos Sectatores sibi conciliavit. Is suis pollicebatur, effecturum se, ut aliquis *Iman*, seu Pontifex, ex prosapia *Ali* restitueretur. Ad *Sup. lib.* quem ut sanctum devotissime colendum *XXXIX.* auditores excitabat, & ad ulciscendum *p. 32.* ejus sanguinem contra Califas stimulabat. Præcepta difficiliora Mahometanæ Religionis abolevit, facta suis potestate vinum bibendi & cunctis carnibus sine discrimine vescendi. Cui licentiæ cum spes prædæ accessisset, contracto ingenti exercitu *Carmat* Califæ terras fœde depopulatus est. Ex hac vita decedens reliquit duodecim Discipulos præ ceteris spectabiles, honori duodecim *Imanorum*, ex *Ali* genus ducendum,

D d d 2

tium,

Sæcul. XII.

A C. 1173.

*Elmac.*

p. 194.

*Sup. lib.*

LV. §. 13.

*Id. pag. 286.*

tium, sacros, multosque habuit succes-  
 fores, quorum celeberrimus fuit *Alu-*  
*taber*. Is enim ille est, ut suo loco me-  
 moravi, qui provinciis illis centum mil-  
 libus armatorum vastatis, captis pere-  
 grinantium catervis, Meccam anno tre-  
 centesimo decimo septimo, salutis re-  
 paratæ nongentesimo vigesimo nono, in  
 suam redegit potestatem, advenas omnes  
 in ipso templo jugulavit, lapidem nigri-  
 cantem, cultus ipsorum materiam, rap-  
 puit, & peregrinandi libertatem annis  
 duodecim abstulit. Exinde, cum Car-  
 matianorum vires accisæ fuissent, diffi-  
 mulata religionis suæ diversitate, cete-  
 ris Musulmannis se se adjunxerunt, unde  
*Batenis*, id est, *ignoti* dicti sunt. Hoc  
 nomine distincti postea rem suam publi-  
 cam in Persia spectabilem reddiderunt  
 anno Hegiræ quadringentesimo octoge-  
 simo tertio, salutis millesimo nonagesimo.  
 Cumque aliquando Soldani *Gelaleddulet*  
 Legatus Carmatianorum Principi *Hacen*  
 minas ingereret, nisi imperata faceret,  
 ille spectante Legato suorum uni præci-  
 pit, ut conscensa proxima turri in terram  
 se præcipitem daret, & alteri, ut se ipsum  
 confoderet, ac utroque promptissime,  
 quod jussus erat, exequente, *Hacen* con-  
 versus ad hospitem, *nuncia*, inquit, *Do-*  
*mino tuo, non eadem ipsum & me*  
*æstimatione vires meas metiri, quippe*  
*Septua*

*septuaginta millia virorum numero, qui pari constantia, ac duo isti, pro fide mihi data, ultima passuri sunt.* Sæcul. XII. A. C. 1173.

Itaque *Batenis*, seu *Carmatiani*, ut-  
cunque latentes, vitæ Principum insidia-  
ti, complures interfecerunt, quin eorum  
fævitiâ effugere potuerint. Ex multis  
aliis unum exemplum *Hamadeddin Zen-  
gui*, Soldani Alepeusis, anno quingente-  
simo quadragesimo, seu a partu Virginis  
millesimo centesimo quadragesimo quin-  
to, ab his proditoribus interempti, suf-  
ficiat. Quia vero *Batenis* istis non alia  
erant arma, quam pugio in sinu, vulgo  
*Hassifins* appellabantur. Unde nos no-  
men *Assasini* derivavimus. Historici  
nostri *Assasinorum* Principem, *Senem  
Montis*, dixerunt, nomen, quod ipsi in  
*Arabia* tribuebatur, ad literam interpre-  
tantes.

## §. XLIV.

*Beniamini itinera.*

**B**enjamin Judæus in Historia itinerum  
suorum, quæ usque ad annum mil-  
lesimum centesimum septuagesimum  
tertium perducitur, mentionem *Assasi-  
norum* facit, quos prope Libanum mon-  
tem Sedes habuisse dicit. De his me-  
morat, eos sui nominis terrore regiones  
omnes implevisse, quod Reges insidiis  
captos necarent. Ceterum Judæus iste,

D d d 3 Tu-